

11 + 12 / 87

IDIBVS DECEMBRIBVS

MCMLXXXVII



RVMOR VARIVS



TOMUS 10

FASC. 68

RVMOR VARIVS

RVMOR VARIVS a SOCIETATE LATINA
TVRICENSI in aedibus AKADis
editur.

RVMOR VARIVS sexies in singulos
annos editur.

Editio: CCCXXX

Pretium subnotationis: (annuum)

In Helvetia	Fr. 14.--
In Germania	DM 20.--
In Austria	ÖS 140.--
In ceteris	
Europae terris	Fr. 20.--
In terris trans maria sitis	US\$ 18.--

Singula specimina qui rogaverit,
gratis accipiet.

Collegium redactorum:

Udalricus Aeschlimann
Dr. Emanuel Bernard
Dr. W. F. Ebel (AMICUS)
Barbara Maier
Martinus Meier
Daniel Weissmann

Impressum et dispositionem rerum
legentibus publicandarum curat:

Christina Portner

Typographaeum:

Copy Quick, Zürich

Epistulae, mandata mittenda sunt
ad domum editoriam:

RVMOR VARIVS
c/o AKAD
Postfach
CH-8050 Zürich

Institutum pecuniarium:

Schweizerischer Bankverein
Zürich-Oerlikon
RVMOR VARIVS P7-642.719.0

RVMOR VARIVS wird von der SOCIE-
TAS LATINA TVRICENSIS unter dem
Patronat der AKAD herausgegeben.

RVMOR VARIVS erscheint 6 mal
jährlich.

Auflage: 330

Abonnementspreis: (jährlich)

Schweiz	Fr. 14.--
Deutschland	DM 20.--
Oesterreich	ÖS 140.--
übriges Europa	Fr. 20.--
Uebersee	US\$ 18.--

Einzelne Probenummern können
gratis bezogen werden.

Redaktionsteam

Ulrich Aeschlimann
Dr. Emanuel Bernard
Dr. W. F. Ebel (AMICUS)
Barbara Maier
Martinus Meier
Daniel Weissmann

Graphik und Layout:

Christine Portner

Druck:

Copy Quick, Zürich

Verlagsadresse:

RVMOR VARIVS
c/o AKAD
Postfach
CH-8050 Zürich

Bankverbindung:

Schweizerischer Bankverein
Zürich Oerlikon
RVMOR VARIVS P7 642.719.0

PRÆFATIO

Cari legentes

Vos in Rumore Vario 9+10/87 admonueram, ut, quicumque nostro libello mense Februario 1988° anniversarium decimum celebraturo gratulari velit, nobis verba sua gratulatoria fasciculo 1+2/88° imprimenda mittat. Quo monitu publicato inundatio vera (Ueberschwemmung) verborum gratulantium domus editoriae facta est! Quam ob rem omnibus, qui epistulam gratulatoriam iam miserunt, gratias ago maximas. Omnes autem gratulationes felicitationesque, sive iam missae sive semper exspectatae, in fasciculo 1+2/88 - qui erit fasciculus ornatu suo profecto sollemnis ac ad diem natalem nostri libelli celebrandum aptissimus! - publicabuntur. Ergo semper valet adhortatio mea: Qui gratulari velit neque iam fecerit, semper mittat gratulationem suam domui editoriae Rumoris Varii. Quod autem fieri potest usque ad diem anni exeuntis ultimum!

Fasciculo autem praesenti tomus Rumoris Varii iam decimus expletur. Cum fasciculo insequenti iam tomus undecimus incipiet, vobis promitto: socii operis Rumorem Varium colentes operam dabimus, ut etiam insequens tomus XI futurus plenus sit narrationum maxime variarum, animos legentium maxime delectantium!

Felicem diem natalicium Iesu Christi, felicem novum annum MCMLXXXVIIIum vobis omnibus! Curate, ut semper valeatis! Cordialiter et amice vos saluto gratias agens, quod Rumori Vario tamquam amico longaevo vos spero esse posthac ut ante fidem praestaturos.

A. Aeschlimann

Udalricus Aeschlimann

De feriis mense Octobri in Sicilia actis

Quo modo vel quibus vehiculis nos Helvetii possumus in Siciliam pervenire? Birota (Velo)? An autobirota (Motorrad)? An autocineti (Auto)? An coenautocineti (Bus)? An ferrivia (Eisenbahn)? An aeroplano? Nos praetulimus aeroplanum. Namque, ut iam dudum scitis, uxor mea feriis semper mecum procul iter facere vult et ego resistere nequeo. Uxor iam multo ante, me nihil consulens, iter in Siciliam faciendum curaverat. Sed ut aperte loquar: ego ipse non tam incuriosus eram Siciliae tandem videndae, ut qui tot per annos apud Ciceronem multa de Sicilia legissem, quin etiam aliquando examen de historia Siciliana subissem.

Ante diem quartum Nonas Octobres in aëriportu Turicensi aeroplanum conscendimus. Inde usque ad aëriportum Cataniae, urbis ad litus ad orientem spectans sitae, paulo plus hora et dimidia volatur, cum (während) temporibus Goethe poetae quindecim fere dies raeda (Kutsche) vehendum fuerit. Neque tamen vos misereat Goethis poetae! Namque tum viatores, viator quidem ut Goethe, qui oculis apertis iter faciebat, milies (tausendmal) plura videbant quam nos, quippe qui super strata (Decken) nubium volaverimus. Nos prope nihil vidimus nisi interdum per fissuras (Risse) nubium perindistincte (sehr undeutlich) aliquid terrae vel litoris Italiae. Philosophus quidam dixerit: Ita fit, ut omnia in vita humana habeant latera duo: commoda immixta sunt incommodis et incommoda commodis. Exemplo est hoc: celerrime super nubes volantes nihil videmus, at raeda (Kutsche) vectus Goethe innumerabilia vidit et, quae viderat, in orationem prosam vel in carmina redegit. At mihi prope est nihil, quod redigam nisi paucissima, narratu plane indigna, quae hic infra sequentur quorumque iam nunc a legentibus veniam peto.

In Siciliam autem cum volantes perveneramus in altitudine octo milium metrorum, tamen aliquando habuimus aspectum magnificum, id est Vulcani Aetnae e nubibus eminentis. Omnes viatores, inexpectato aspectu quodammodo commoti e parvis fenestris aeroplani Aetnam admirabantur. Vidimus

fumum e cratere eius surgentem, absque timore quidem, ne nobis praesentibus erumpere posset. Paulo post ad aëriportum Cataniae advolavimus.

Postero die coepimus iter circum totam insulam Siciliae faciendum coenautocineti vecti, prope semper proxime litus, praetervehentes oppida "Messina" et "Cefalù", postea aliquo loco amoeno consistentes, ut in mari lavarem, et sub vesperum advenimus ad urbem magnam nomine Italiano "Palermo", antiquo autem nomine Graeco "Panormos", nisi fallor. Sed ne nimis confidatis, cari amici, verbis meis! Etenim multi anni elapsi sunt ex illo tempore, quo melius sciebam nomina Graeca.

Postridie mane surgendum erat ad visitandam urbem. Intravimus ecclesiam cathedralem, Capellam Palatinam vidimus, sarcophagos Stauforum aliasque res, quae visu dignae habentur. Deinde effugimus, ut ita dicam, commeatum ingentem (Verkehr) vehiculorum, qui est in viis urbis; pervenimus ad oppidum "Segesta" altas columnas templi illius Dorici spectaturi, inde per regiones montuosas iterum descendimus ad oppida "Trapani" et "Marsala" ad mare sita. Marsalae (ut nomen Latine declinem) intravimus officinam celebrem illam, ubi vinum illud toto orbe terrarum notum conficitur, cuius singulae guttae omnibus nostrum gustandae oblatae sunt.

Postero die ad oppidum "Selinunte" perreximus, ubi campum ingentem reliquiarum columnasque templorum duorum vidimus. Sub multum meridiem (gegen den späten Nachmittag) tandem ad urbem pervenimus, cuius videndae iam dudum fueram curiosissimus, dico ad "Agrigento", ut sermone Italiano appellatur, Latine Agrigentum, Graece, id est sermone Graeco antiquo Akragas, ubi Empedocles philosophus antiquus vixerat, nostro saeculo autem Pirandello, poeta Italianus, cuius opus me iuvenem delectaverat. Qua in urbe postquam pernoctavimus, iter nostrum flexum est in mediterranea insulae (ins Innere der Insel) oppidum "Piazza Armerina" versus, quod est eminente loco montis pulcherrime situm. Inde rursus ad litus ad orientem spectans, per Cataniam ad Syracusas (Italiano nomine Siracusa).

Quid vidimus toto itinere circum Siciliam per septem dies facto? Coniunx mea multa vidit, ut quae oculis apertis itinera facere solet. Ceteri quoque socii itineris fortasse

me multo cupidiores erant visendi, spectandi, admirandi columnas illas, quae superstant, templorum Graecorum antiquorum, opera tessellata (Mosaiken), vasta pavimenta tessellata (Mosaikfussböden), vastos campos reliquiarum (Trümmerfelder), fragmenta theatrorum, arbusta, flores, herbas meridianas, hortos omnibus coloribus fulgentes, at ego plerumque sicut bos caecus ducem itineris (Reiseführer) sociosque sequebar, identidem ducem interrogans, nonne tandem aliquando ad tabernam quandam vel cauponam adventuri essemus. Talia semel iterumque me rogantem dux iam moleste ferebat, iam irridebat et iocose et cavillanter me interrogabat, cur tandem in Siciliam nos venisse putarem, utrum imprimis epulandi et poculandi causa an ut disceremus aliquid de terra, historia, arte Siciliae. Quod cum coram omnibus satis audacter interrogavisset, me nonnihil pudebat meae cupidinis continuae in cauponam devertendi omnesque fere socios ventri oboedientiam meam despicientes a me abalienari apparuit, excepto uno viro Germanico, qui mihi propius accedens in aures sussuravit: "Recte dixisti, amice, iure questus es de laboribus perpetuis visitandi templa antiqua reliquiasque temporum antiquorum. Nos vivimus. Quid ad nos Graeci antiqui, Arabes, Normanni temporum elapsorum? Ego quoque satiatus sum currendo ab alio templo ad aliud. Ab uno templo viso disco cetera. Similiter est de vino: si vini bonitatem cognoscere velis, opusne erit dolium vini exhaurire? Gutta una satis erit. - Guttam dicis? - Non dico guttam, sed poculum. Ceterum stomachus latrat (der Magen knurrt) et desiderium me tenet sorbendi poculum vini. Laudo te, euge! (bravo!), quod aperte et alta voce dixisti te proximam cupere intrare cauponam, cum (während) ceteri socii se mente captos esse et ardere simulent aspectu columnarum. Attamen non nego posse fieri, ut unus et alter re vera commoveatur templorum contemplatu (Betrachtung)." Nihil respondi nisi: "Gratias tibi ago, perbene me consolatus es, amice."

Itinere facto uxor egoque alteram septimanam (Woche) in Sicilia mansimus requiescentes in litore infra oppidum "Taormina" sito, natantes, apricantes (Sonne geniessend), sermocinantes cum sociis, in deversorio (Hotel) "Hellenia" non ita male curati.

Uno die in summum vulcanum Aetnam vecti sumus. Accuratus ut dicam: coenautocinetum nos vexit usque ad altitudinem MCM metrorum, inde minor autoraeda usque ad altitudinem trium milium metrorum, locum centum metris infra craterem situm. Crateri ipsi appropinquare non licuit, cum periculum esset, ne vulneraremur massa sulphurea (Lava) e cratere surgente. Namque biennio ante duo viatores in ipso margine crateris stantes occisi erant lapidibus e cratere missis. Valde dolebam nos ad craterem accedere vetari. Semel in vita spectavisse in ferventem craterem quantum me iuvisset (Freude machen)! Empedoclis philosophi finis vitae mihi venit in mentem, ut qui praematuram mortem praeferens molestae senectuti in craterem saltavisse dicitur. Sed cum magnum philosophum me non esse scirem, diutius vivere statui nec craterem ascendi, praecipue autem propter uxorem meam dulcissimam, quae me Aetna haustum nimis doluisset. Alio die in oppidum "Taormina" superiore loco situm pedibus ascendimus. Cuius oppidi fama olim per omnes terras propagata erat propter eius caelum (Klima) salubre, amoenitatem loci et deversoriorum bonitatem. Plus ducentis annis ante Goethe poeta quoque illuc venerat magnumque theatrum Graecum summopere laudaverat, scribens prospectum (Ausblick) e spectaculis (Sitzbänke) in sinum maris pulcherrimum esse totius orbis.

Nos imprimis ambulabamus per viam principalem nomine italiano "Corso Umberto" mihique taedio erant tabernae (Läden) innumerabiles ab utraque parte ostentantes vestimenta, calceamenta, mundum muliebrem (Damenschmuck); namque nimirum uxor mea ante unamquamque tabernam diutius morabatur, dum ego, mercium plane incuriosus et fastidiosus assto (dabeistehe). Semel iterumque orabam et supplicabam: "Finem fac tandem spectandi, veni, veni, progrediamur!" Ita ut uxor, quae alias patientissima semper esset mei, aliquando irasceret, conviciis (Schimpferei) me consectans dicensque: "Tu nihil umquam spectare vis, nihil tibi placet praeter puellas. Insequentibus (nächsten) feriis te domi relinquam."


Nihilominus mihi est persuasum uxorem semper et in omnia saecula saeculorum mecum itinera facere velle atque ego, dum vivam eroque valetudine bona, sequar.

Emanuel Bernard

Aenigma

QVO PRAEMIVM ACCIPI POTEST! QVODQUE AENIGMA RECTE SOLVTVM
ET RVMORI VARIO MISSVM AD SORTEM REVOCABITVR! DIES VLTIMA
KALENDIS FEBRVARIIS EST!

PRAEMIA SVNT: primum praemium LIBER
secundum et tertium praemium LIBELLVS



ad libram

1) philosophus et homo scientiarum de rerum natura peritissimus Nolanus, anno MDC p.Ch.r.n. Romae a viris inquisitionis catholicae sceleratissime igni crematus (Italiane); 12) dea Assyria, apud Graecos Aphrodite appellata; 13) pronomen demonstrativum Latinum; 14) praepositio Latina; 15) praepositio Latina; 16) qua homines vel alia animalia vel vehicula ire solent (Acc.); 17) impulsi; 20) calidus est; 22) filia Ciceronis; 23) ad aquam transportandam vel sortes accipiendas apta; 24) regio Graeciae adversa trans mare Aegaeum sita; 25) contrarium laboris necessarium ad animum recreandum (Gen.); 26) tanta multitudo; 27) urbs Baetica, ad oram maris Iberici sita (Gen.); 29) cuperem; 32) frux regionum meridianarum (Dat.); 34) instrumentum, quo pisces capi solent; 35) pronomen demonstrativum Latinum; 37) paludis; 40) aliquid, cui substantia inest (Caesar id verbum primus creavisse a grammaticis Latinis dicitur) (Abl.); 42) sensus animae, qui eos movet, qui malis afflictos vident (Acc.)



ad perpendicularum

1) comes Aeneae tuba canendi peritissimus; 2) dicta ancipitia; 3) quod aliquis in aqua facere solet; 4) vado; 5) scelus vel incusatio; 6) avis lacus fluviosque incolens (Abl.); 7) puellae ex quadam urbe in Baetica sita (ceterum patria musici Manuelis de Falla) saltationes agentes (forsitan similes eis, quae nunc "Flamenco" dicuntur) (Gen.); 8) privignus Augusti imperatoris, praefectus in Germania (Gen.); 9) instrumento rota praedito lanam tractavi; 10) illa puella Florentina, quam Dante poeta amabat et maxime venerabatur (Italiane); 11) mulier, quae hominibus in initio vitae adest (mater Socratis philosophi eo officio functa esse fertur) (Acc.); 18) condicionis caeli vel regionis; 19) ad insulam Graecam prope Athenas sitam pertinens (adverbium); 21) (alicui malo) obnoxius sum; 23) imbutam; 27) pronomen personale Latinum; 28) avis,

cuius nomen tempora hiemalia in memoriam reducit; 30) incolae eius insulae Graecae, qua saeculo proximo statua Veneris deae nunc Lutetiae collocata reperta est (Nom.Pl.); 31) gubernabis; 33) contendam; 36) loquere; 38) imperator rex (breviter); 39) media pars universi nostri; 41) nisi

Hoc aenigma composuit Daniel Weissmann

SOLUTIONES

ex aenigmate in RVMORE
VARIO 9+10/87 publicato
hic demonstrantur:



[^] E	² M	³ A	⁴ T
² M	A	G	O
³ A	G	A	R
⁴ T	O	R	I

Facete lepideque dicta

De marito sorte sua indubio

- Coniunx : "Alteri nostrum si olim aliquid mortale accessurum fuisset, quid alteri futurum tum faciendum esset?"
- Maritus : "Quod si olim acciderit, ego domicilium meum in pagum Ticinum (in den Kanton Tessin) transferam!"

De vaccis fumantibus

Agricola cauponam ingressus alium agricolam sibi notum finitimumque salutatur et interrogat: "Salve, vicine! Responde mihi: Fumantne vaccae tuae?" - Ad haec alter: "Quid interrogas? Utrum vaccae meae fument necne? O quaestionem stultissimam! Egomet saltem neque umquam vaccas fumantes vidi nec ipse vaccas habeo, quae fument!" Tum primus: "Quae si profecto ita sunt, ut dicis, animo deceptus sum, cum modo domicilium tuum praeterierim: vidi enim non vaccas tuas fumare, sed stabulum tuum ardere...!"

De coniugibus rixantibus

Coniunx maritusque cum avvocato, qui eorum querelas perpetuas iudicio suo finiret, disputabant. In hoc colloquio coniunx maritum vehementer accusans et digito designans avvocato "Diutius non iam tolerabo," inquit "quod hic, quandocumque iratus est, me vaccam esse dicit et repetit!" His verbis auditis avvocatus marito "Veto" inquit "te uxorem in futura tempora illo verbo pessimo vaccae appellaturum! Sin autem non parueris, te iudicio severo ad poenam duram subeundam condemnabo!" Postquam maritus pollicitus est se illo verbo non iam umquam usurum esse, avvocatus coniuges quasi pacatos demisit. Cum autem coniuges in strata essent domum redituri, uxor denuo rixatura marito: "Nunc etiam a viro iuris prudente," inquit "neutrius parti favente ac iustissimo audisti te me verbo vaccae offendentem iniustum fuisse! Confitere nunc ipse te iniustum fuisse, te turpissime egisse!" - Ad haec maritus tantum "Tace!" respondit et "Nisi tacueris, ex capite tuo ambo cornua eripiam!"

De periculo mortis hominibus quibusvis locis imminente

Duae feminae in strata hariolantur. Dicit altera: "Iamne audisti novissimum, infandum, maxime horribile? Paulus Harzenmoser, tignarius (Dachdecker) noster, autoraeda obtritrus mortuus est!" Ad haec altera: "Profecto horrendum

et terribile est, quod narras! O tempora maxime periculosa!
Videlicet enim nostris diebus ne tignarios quidem in tectis
laborantes ab autoraedis obterentibus tutos esse!"


Vox liberorum vox sapientium

- Magister : "Si unicuique vestrum X Francos Helveticos
darem: quid de me censeretis?"
Discipuli : "Eo nobis carior esses!"
Magister : "Sin autem C Francos darem?"
Discipuli : "Censeremus te esse virum ditissimum!"
Magister : "Sin autem M Francos darem, quid censeretis?"
Discipuli : "Rogamus, ne nobis irascaris, care magister:
si ita faceres, censeremus te virum dementem
esse!"

De tribus iudicibus

Tres iudices aliquamdiu iam inter se de aliqua causa
disputaverant. Denique alter interrogavit: "Nonne recta est
opinio mea, quam vobis explicavi?" - "Vera dixisti!"
respondit tertius. Tum alter opinionem suam de causa
disputata opinioni alterius contrariam aperuit; ubi
finivit, ipse tertium interrogavit: "Nonne recta est opinio
mea?" Cui tertius iterum "Vera dixisti!" respondit. Tum
primus assensibus tertii iteratis iratus surrexit et capite
ira rubricolorato tertio "Nonne animadvertisti," inquit "te
modo duabus opinionibus inter se maxime diversis
consensisse?" Cui tertius inperterritus respondit: "Vera
dixisti!".

Udalricus Aeschlimann



DE CATULLO SIRMIONIS ERO

C. Valerius Catullus brevem suam aetatem egit primo
a.Chr.n. saeculo, tempore "rei publicae alienissimo", ut
dixit Cicero. Catullus erat aequalis virorum preclarorum
velut Pompei Magni, Ciceronis, Cai Iulii Caesaris, sed
versus eius in operis rei publicae non erant. Opus Catulli
116 carmina cantusque continens praecipue est indicio
amoris singularis, quo poeta fere ad vitae ultimum captus
erat.

Catullus primus inter poetas linguae Latinae more inusitato
magnoque impetu vim ingentem amoris aperuit. Non erat
"lusor tenerorum amorum" velut Ovidius, erat vero amator
desperatus mulieris nomine Clodiae, quam falso nomine
Lesbiae cantabat. Quae mulier, nobili genere nata, soror
minima natu Clodii Pulchri, erat "pulcherrima tota" (carmen
86,5). Praedita quoque erat magno motu animi ac ingenii.
Clodia luxuriae data foedus amicitiae persaepe fallebat,
quod Catullus aegerrime ferebat. Poeta maximo dolore
maioreque ira affectus hos versus scripsit:

"Cum suis vivat valeatque moechis,
Quos simul complexa tenet trecentos,
Nullum amans vere..." (c 11, 17-19)"

Nunc autem satis verborum est de Catulli Lesbiaeque amorum
foedere. Animum meum convertam in illa loca amoena, ubi
poeta, imprimis aestate, otio fruebatur.

Catullus Veronae summo loco natus est (c 67, 34: Veronae
meae). Genti Valeriorum erat villa sumptuosa in paeninsula
Sirmionis sita. Catulli Sirmio hodie Sirmione vocatur.
Aquis Lacus Benaci lambitur. Hodie quoque visere possumus
ruinas ingentes villae, cuius partes antiquissimae primo
a.Chr.n. saeculo exstructae sunt. Villam hanc verisimile
est Catulli domicilium fuisse. Catullus ipse erum Sirmionis
se appellat (c 31,12).

Ruinae villae exstant summo in colle, in extremis finibus
paeninsulae. Natura loci est pulcherrima. Olivae colore
argenteo virentes, moles ruinarum ingens, undae Lacus
Benaci aspectu mox caeruleae, mox virides animos spectan-
tium magnopere commovent. Iam saepe cum discipulis meis

iter haec in loca feci. Maestas loci amoenitasque admirationem nostram semper excitaverunt. Villae vestigia lingua Italica "Grotte di Catullo" vocantur. Quod nomen ruinis datum est a quodam viro docto annales scribente, qui saeculo p.Chr.n. decimo quinto a Duce Venetico nomine Giovanni Mocenigo, hanc in regionem missus est ad Venetorum fines visendos. Vir ille ruinas villae cavernas (grotte) nominavit. Cum loca hodie perambulamus, ruinae balneorum tabernarumque oculis nostris se offerunt. Conspicimus quoque ruinas porticum, triclinii, cubiculorum. Passim autem e lapidibus antiquis olivae pinusque exstant aedificia dilapsa ad vitam revocantes. Iuxta locorum aditum antiquarium est ornatum fragmentis vasorum, tabularum, supellectilis. Ibi apparet fragmentum picturae muralis verisimile Catulli effigiem praebens. Cernimus sane imaginem iuvenis togati dulce subridentis.

Cari amici Latinitatis, legite aut relegite carmen illud (31) a Catullo venustae Sirmioni datum... et, quid melius est, venite occasione oblata visendi causa haec ad loca, quae profecto visenda sunt!

Barbara Maier

Sequitur nunc carmen, quo Catullus ex Asia rediens patriam suam celebravit:

31.

Paene insularum, Sirmio, insularumque
 Ocelle, quascumque in liquentibus stagnis
 Marique vasto fert uterque Neptunus,
 Quam te libenter quamque laetus in viso,
 Vix mi ipse credens Thuniam atque Bithunos
 Liquisse campos et videre te in tuto.
 O quid solutis est beatius curis,
 Cum mens onus reponit ac peregrino
 Labore fessi venimus larem ad nostrum
 Desideratoque acquiescimus lecto.
 Hoc est quod unum est pro laboribus tantis.
 Salve, o venusta Sirmio, atque ero gaude;
 Gaudete vosque, o Lydiae lacus undae;
 Ridete, quicquid est domi cachinnorum.

Catullus, Carmina

(Hinweis: Ab Bahnhof Desenzano Bus nach Sirmione, Fahrzeit etwa 25 Minuten, dann zu Fuss etwa 30 Minuten durch den Ort zu der "Grotte". Von Verona aus ab Busbahnhof, Fahrzeit etwa 1 Stunde.)



NATHAN MODERNVS
 SIVE DE COMMODIS RELIGIONIS
 SPERNENDAE

Prioribus in RVMORIS VARIi fasciculis Daniel Weissmann, sodalis noster peritissimus, Nathanis sapientis parabolam de tribus anulis non modo excellentissime narravit, sed etiam verbis suis, quo modo cogitaret de ea parabola, dilucide explicavit. Hoc inceptum valde laudabile atque animosum partim subridens partim caput concutiens perlegi. Non omnia enim - secundum meam opinionem - taliter excipi licet, qualiter dicta sunt a Daniele amico nostro.

Iure quidem ille semper semperque - ne dicam: satis superque! - monet hominibus cuidam religioni deditis non licere hostiliter in homines aliam religionem colentes invehi. Nullo modo laudanda vel toleranda sunt illa iudicia capitalia contra haereticos quospiam commissa, nefas est homines propter religionem, ideologiam, opinionem eorum suppressere, cruciare, immo interficere, cum Deus homini dederit id, quod theologi vocant "liberum arbitrium", i.e. facultatem selegendi inter bonum et malum, inter verum et falsum.

Nihilominus non assentior Danieli dicenti omnes religiones aequi esse momenti atque ponderis, quia sphaerae similis veritatis partem tantum totius monstrent exiguam, dum sint nobis invisibiles partes ceterae. Utrum enim veritas tota sit visibilis an non, nihil refert: veritas manet veritas! Rosa, ut exemplum afferam, semper est rosa, etsi quis dicat eam esse tulipam. Daniel noster autem eam et rosam et tulipam esse affirmet, quod veritatis cognoscendae nos iudicat imperitos.

Nolite ridere, lectores honorabilissimi, nolite dicere: 'Rosa bene visibilis est, Deus autem et res ad religionem pertinentes invisibiles sunt, de quibus tantum philosophari, sed nil certi sciri potest.' Ut iam antea dixi, in veritate pronuntianda non refert, utrum quid sit visibile an invisibile. Deus aut **est** aut **non est**. Vita aeterna aut exstat aut non exstat. Theoria Christiana aut a Deo data est aut ab hominibus inventa. Sed mixtura rerum ambarum fieri non potest: Si Deus est, non non est.


Christifideles credunt Deum esse, vitam aeternam fore, theoriam Christianam a Deo esse datam ac relevatam. Hoc eis verum esse persuasum est. Cur ergo dicant religionem suam tantummodo esse partem veritatis quandam? Dixit enim Iesus apostolis suis: "Ego sum via et veritas et vita. Nemo venit ad Patrem nisi per me." (Io 14,6) Haec verba aut credam aut repudiabo, sed mihi non licet a Christianis postulare, ut ea, quae vera ducunt, partim abiciant. Simili modo Mahometanos cogere, ut recusent sententiam "Deus est deus atque Mahomet(us) propheta eius", non licet.

Qui ergo tolerantia vera utitur, religione sua gaudet, sed religiones ceteras non despicit. Qui contra Danielis opinionem sequens tolerantia falsa utitur, non religione qualibet gaudet, sed semper dubiis mordetur, ut tandem religiones cunctas pariter veras vel falsas censens veritatem non esse cognoscibilem declaret.

Cur modus iste sentiendi hodierna aestate in dies augetur? Confiteor: Veritatem absolutam negare multo facilius est quam veritatem cognoscere atque secundum cognitionem agere et vivere. Qui Deum legesque divinas exstare negaverit, ei nulla sunt saepta imposita. Si Deus **non** est, egoismum colere non modo licet, sed oportet. Si mors est omnium finis, stultus ille, qui homines fratres et sorores tractat! At Iesus loquitur: "Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram. (...) Beati misericordes, quia ipsi misericordiam consequentur. (...) Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur." (Mt 5, 5/7/9)

Non modo a Christianis - vel potius: ab hominibus se Christianos putantibus - scelera sunt commissa, sed plura immo in Christianos. A Nerone usque ad Gorbatsov(um) - etsi "perestroicam" propagantem! - mulieres, viri liberique plurimi ea sola causa sunt suppressi, torquela subditi vel capitis damnati, quod veritatem absolutam cognitam negare noluerant. Cur propter phantasma quoddam, propter theoriam vagam neque probatam mortem paterentur?

Martinus Meier



DE COMPUTATRIS

Tractationis pars quinta vel finalis:

Paucissima de lingua FORTRAN atque de novis technologiis brevissima tractatio

I. Paucissima de lingua FORTRAN

Quod mandata fundamentalia linguae FORTRAN iis linguae BASIC non sunt nimis dissimilia, hic linguam FORTRAN brevi cum lingua BASIC comparemus:

Index mandatorum:

<u>BASIC</u>	<u>FORTRAN et significatio</u>
STOP vel END	STOP, ubi cursus programmatis finiendus est END est finis programmationis
PRINT	WRITE (*,*) scribitur in albo televisifico

GOTO	GOTO alio loco pergitur cursus	
LET...=...	...=... assignatio valoris	
INPUT	READ (*,*) inditum	
IF...THEN...	IF (...) THEN	si
	... (mandata)	
	ELSE	alio casu
	... (mandata)	
FOR...NEXT	DO 100 (numerus lineae) I=1,5 est	
	... (mandata)	cyclus
	100 CONTINUE	
+	+	
-	-	
*	*	
/	/	
vel **	**	
()	()	
>	.GT.	maius quam
<	.LT.	minus quam
=	.EQ.	aequalitas
SQR	SQRT	

Etiam exstant in lingua FORTRAN haec mandata:
 REAL, INTEGER, CHARACTER, quae significant typos
 variabilium (numeri reales, integri, series characterum
 etc.), FORMAT significat formatum, id est forma edendorum
 numerorum aut characterum.
 Lineae in lingua FORTRAN non sunt numerandae, nisi propter
 mandata GOTO vel DO... et nonnulla alia. Sequitur parvum
 exemplum:

<u>BASIC</u>	<u>FORTRAN</u>
	REAL A,B,SUMMA
10 PRINT "Inde A et B"	WRITE (*,*) 'Inde A et B'

20 INPUT A,B	READ (*,*) A,B
30 LET SU=A+B	SUMMA=A+B
40 PRINT "Summa est";SU	WRITE (*,*) 'Summa est',SUMMA
	STOP
50 END	END

Lingua FORTRAN technica compilativa utitur, id est programmata totum ante executionem in linguam machinalem convertitur. Lingua FORTRAN imprimis ad problemata physica solvenda apta est.

II. De novis technologiis brevissima tractatio

Sub fine nostrae orationis pauca de novis technologiis, quae ad computatra spectant, dicamus.
 Ante triginta annos, cum iam magna et celeria computatra exstitissent, vix aliquis credidisset computatra popularia aliquando fabricatum iri, quibus quisque facile uti posset. Computatra hodie etiam non iam solum ad calculos faciendos adhibentur uti prius, sed maxima ex parte ad administrationem atque datorum tractationem usurpantur.
 Multa, ut exemplum afferam, exstant programmata ad textus tractandos.
 Adhuc solum de singulis computatris loquebamur, nihil diximus de eo, quod fieri potest, ut complura computatra inter se coniungantur. Tales coniunctiones computatrorum retia computatrorum nominantur. Computatra vel propriis ductibus vel telephonice inter se coniunguntur.
 Exstat in Europa rete computatrorum inter plurimas sedes computatorias, quod EARN nominatur (European Academic and Research Network), cuius computatrorum retis sedes centralis apud sedem Societatis Ioniis Gravibus Explorandis Darmstadii est. Usque in annum 1987 rete computatrorum EARN etiam cum reti universitatum Americanarum BITNET coniungetur.
 Eodem modo multa retia in Germania iam instructa sunt, plura quidem in America septentrionali.
 Sed praeter maiora computatra etiam microcomputatra in diem plura possunt, imprimis quoad ad earum capacitatem memoriae attinet, de qua iam locuti sumus. Capacitas memoriae

multiplis metitur, quae computatrum memoria tenere potest. Microcomputatra moderna iam plus 100.000 multiplorum capacitatem habent et mox certe decemplicem capacitatem habebunt.

Computatra certe in diem maiorem nostrae vitae partem obtinebunt. Sed nunc ipsi de computatrorum bonis et malis iudicate! Diximus!

Vocabularium

album televisificum	Bildschirm
apparatus electronicae datorum tractationis	elektronische Datenverarbeitungsanlage
assignare	zuweisen
assignatio valoris	Wertzuweisung
assula	Chip
assula conditoria	Speicherchip
binarius (character)	Bit
charta perforata	Lochkarte
* circuitus integratus	integrierter Schaltkreis (IC)
commutamen	Relais
computatrum	Computer
condere	speichern
* conexio logica	logisches Gatter, logische Schaltung
data, datotheca	Daten, Datei
* distributio temporis computationis	time-sharing (Rechenzeitaufteilung)
ductus	Leitung
editum	Ausgabe
epitonium	Schalter
explere, exsequi	ausführen
* fabricatio serialis	Serienfabrikation
fluentum electricum	elektrischer Strom
formatum	Format
impressorium	Drucker
inditum	Eingabe
instructus additionis	Addierwerk
* instrumentum editorium	Ausgabegerät

* instrumentum inditorium	Eingabegerät
* lectrum discorum magneticorum	Magnetplattenlaufwerk (Diskettenlaufwerk)
lectrum mechanographicum	Lochkartenlesegerät
linea	Zeile
* lingua machinalis	Maschinensprache
lingua programmationis (superior)	(höhere) Programmiersprache
* locus memoriae	Speicherplatz
machina calculatoria	Rechenmaschine
machina ordinatoria	Sortiermaschine
machina numeratoria	Zählmaschine
magnetophonum	Tonbandgerät
mandatum	Anweisung, Befehl
* memoria cylindri magnetici	Magnettrommelspeicher
memoria nucleorum magneticorum	Kernspeicher
* memoria semiconductoria	Halbleiterspeicher
* memoria (operatoria) principalis	Haupt-(Arbeits-) Speicher
* microcomputatrum	Mikrocomputer (Homecomputer)
multiplum	Byte
nota aequalitatis	Gleichheitszeichen
nota numeralis	Ziffer
operatio	Operation
plectrum	Taste
* positio decimalis	Dezimalstelle
potentia	Potenz
processus	Prozess
processus directorius	Steuerprozess
programma	Programm
programma ad textus tractandos	Textverarbeitungsprogramm
programma compilatorium	Compiler (Uebersetzungsprogramm)
programma interpretatorium	Interpreter (Interpreterprogramm)
* programma machinale	Maschinenprogramm
programmare	programmieren
rete computatrorum	Computernetz

sedes computatoria
series characterum
* Societas Ioniis Gravibus Ex-
plorandis

spina conexiva
synthesis plectrorum
* synthetizare
* synthetizatum linguae
systema binarium
systema decimale
systema numerorum
taenia magnetica
tabula distributionis
transistrum
tubus electronicus
unitas centralis

valor numerius
variabilis (quantitas)
virgulae duplices

Rechenzentrum
Zeichenkette
Gesellschaft für
Schwerionenforschung
(GSI)
Stecker
Tastatur
synthetisieren
Sprachsynthesizer
Dualsystem
Dezimalsystem
Zahlensystem
Magnetband
Schalttafel
Transistor
Elektronenröhre
Zentraleinheit, CPU
(central processing
unit)
Zahlenwert
Variable
Anführungszeichen (".")

* verba a nobis proposita

libri adhibiti:

- 1) J. Kwiatkowsky, B. Arndt: BASIC
- 2) RRZN/Uni Hannover: FORTRAN 77, Sprachumfang
- 3) Wolfgang Bauer: Computer Grundwissen
- 4) Christian Helfer: Lexicon auxiliare
- 5) VOX LATINA: fasc. 63,64

Robertus Maier et Matthias Heyden



SVBNOTO RVMOREM VARIVM
(Ich abonniere RVMOR VARIVS)


SVBNOTO RVMOREM VARIVM DONO
DATVM ALICVI
Factura subnotationis mitten-
da est ad adressam infra
stantem.
(Ich abonniere RVMOR VARIVS für
mit Rechnung an:)

Datum und Unterschrift

RVMOR VARIVS
c/o AKAD
Postfach
8050 Zürich



Hic solutionem inscribe et
chartam mitte!
Nomen emittentis et inscrip-
tio cursalis:




AZ

8050 Zürich

11+12/87

IDIBVS DECEMBRIBVS

MCMLXXXVII



RVMOR VARIVS



RVMOR VARIVS
c/o AKAD
Postfach

8050 Zürich

TOMUS 10

FASC. 68